

**www.e-rara.ch**

**Polydori Vergilii Urbinatis dialogorum, De Iureiurando et Periurio, lib. I.  
De Veritate et Mendacio, lib.I. De Patientia eiusque fructu, libri II. De  
Vita perfecta, lib.I. De Prodigijs et sortibus, ...**

**Vergilius, Polydorus**

**Basileae, 1553**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-33>

Polydori Vergilii Urbinatis de fructu patientiae liber posterior

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

*In* constantia Paulus Æmilius homo Romanus prædicitus fuit, qui duobus charissimis filijs intra octo dies amissis, ne ullum quidē tristitiæ signum dedit. Igitur tu, qui rerum aduersarū, sicuti ab initio nostri sermonis, illud tibi amicē obieci, minimē eras patientissimus, si reliquā etatem in animi patientia exercueris, fructum profectò ex isto nostro colloquio capies uberrimum. PIN. Istuc porrò iam sentio: sic enim sum à te institutus, ut emendatis nunc moribus, sim in posterum tempus multò patientius leuiusq; quiduis laturus. VERG. Gaudeo tuo isto excellenti bono, de quo cras plura, si non excludemur tempore. Interim apud me, commodum & cœnes & pernoctes licet. PIN. Ego ita faciam, ac lubens, cū tu prolixē inuites.

POLYDORI VERGILII VRBINATIS DE FRUCTU PATIENTIÆ LIBER POSTERIOR.

VERGILIUS.



Su uenit hodie, quem admodum heri fore dixi, ut simus unā hic, & ab omni re otium nobis detur: si non uis animi gratia uenari, uti apud nos moris est, sermocinemur rursus inter nos licebit. PINNIVS. Vbi ego uenarer, homo harum regionum uestrarum ualde insolens? Sed qua de re uis sermonem habere? VERG. De patientiæ fructu. PIN. Delectat te uidelicet, quod aiunt, eandem

canere cantilenam. VERG. Non dicas cantilenam, at consentaneum, consequens, conueniens. Nam hesterno die quid sit patientia, & unde nascatur, demonstrauimus: hodie uerò expedit de commodo, quod ab ea ipsa proficiscatur, minus tacere, nisi uelimus nostram recentem disputationem inutilem esse: quando iccirco in eiusmodi sermonem uenimus, quò fructum aliquem inde caperemus. PIN. Verum ais, operæpretium est omnino, ut ita fiat. Da te in sermonem ergo, quoniam ut tu maximè omnium id facere cupis, sic ipse haud minimè omnium curasse, attendisseq; uidebor. VERG. Audi proinde. Patientiam quam heri libuit in plures diuidere partes, hic breuitatis causa, comòdè duplicem esse ponamus, aut uoluntariam, coactamue: & uelut hanc uitiosam, corruptam, adumbratam, ita illam puram, integram, perfectamq; probemus. Quippe coacta tolerantia ex necessitate nascitur, quæ tamen si inciderit in animum fortem, & uirtute præditum, fieri potest perfecta, ut mox dicitur. Voluntaria autem patientia in animis nostris constantiam gignit, in corpore uerò habitum oris & uultus moderatum atque æquabilem informat, ex qua nos ita instituti semper existimus uiri graues temperatig; non tristes, non iracundi, non anxij, neque morosi, neque etiam nimis hilares, ut mœstitia prorsus tam procul absit, quàm mediocritas uultus omni tempore retineatur. O longè peritissimam animorum similiter ac corporum humanorum figuratricem patientiam, quæ tam absoluta fingit opera, ut ne habitudo quidem reprehendi queat. Quòd si ad externa ueniamus

niamus uitæ commoda, quæ Dea hæc patientia terris  
 apportet, certè quidem inuenietur summa pacis &  
 concordie conseruatric, quia nullam meminit iniu-  
 riam: item belli disidiq; expultrix, quòd iram & fu-  
 rorem minimè admittit, quin feroces animos ac con-  
 citatos nullo negotio mitigat, placat, frænat: rursus  
 gratiæ atque amicitie reconciliatrix, quando non gra-  
 uatè offensionem deponit, non irritatur uerbis, in er-  
 ratis aliorum facile conuiuet, in suis uerò reprehèn-  
 di nihil succenset, adèd amans, gratiosa, frugi, be-  
 nignaq; est: præterea rei familiaris auctrix, quæ ser-  
 uitutis quæstuosæ non abhorrens, neque maris aut  
 terræ periculi fugiens, ingentes sæpe diuitias accu-  
 mulat. Est insuper patientia artium fermè omnium  
 ac disciplinarum magistra, quoniam hæc non est, qui  
 sine illa consequi adipisciq; ualeat. Memini me eius  
 rei causa, tantum olim malorum tolerasse, ut non so-  
 lum animus ab illis miserijs, sed aures quoque à com-  
 memoracione abhorreant, etsi uix tantulum aliquam  
 earum attigimus. PINNIVS. Recordor ego con-  
 trà, dum in Bononiensi academia Iuris ciuilibus scien-  
 tiæ operam dabam, studiumq; nauabam, memet meum  
 nunquam defraudasse, ut dicitur, Genium. VERG.  
 Haud mirum est igitur, si reuertisti domum doctius-  
 culus. Sed ad rem. Summorum etiam est honorum pa-  
 tientia procreatrix, quando honos non propter spem  
 futuri beneficij, sed ob labores rei priuatæ uel pu-  
 blicæ susceptos, uiris claris & honestis defertur da-  
 turq;: quia laborem quis nisi patientia fultus diu fer-  
 re potest? PINNIVS. Mirabilia equidem nar-

ras patientiæ in nos merita, quare iamiam scire aueo, quo illa habitu & forma sit, & qua nota internosciqueat, ut ei, si obuia fortè fuerit, debitum habeam honorem: nam cum de nobis ita bene mereatur, digna profectò in primis est, quæ pluris fiat, quàm diuitiæ, quàm potestas, quàm uoluptas: ex quo nunc doleo me amehac nihili eam pependisse, sicut inter colloquium nostrum hesternum, confessus sum ingenuè. VERG. Heri dixi patientiam esse uirginem, quæ cætera omnia habet digna se: os ei est purum, ab omni conuittio uacuum, ac taciturnitatis plenum, quia tanquam pacificum perrarò loquitur, non clamat, non uociferatur, non queritur. uultus tranquillus, qui non uariatur aura uulgi. color, cuiusmodi est innocenibus & securis. frons læta, nullisq; odij rugis contracta. pectus tectum, cæterum simplex, & omnis molestiæ maximè expers, propterea quòd scit cunctas animi deuorare perturbationes. oculi casti, qui in omnibus conuiuent naturæ blandimentis. aures admodum patientes quibusuis rumoribus, quorum tamen crebritate haudquaquam commouetur. Hæc patientiæ forma, habitus, & persona, quam unusquisq; sibi induit, qui aduersa tolerando hinc discit moderata uti uita, ut inde alibi altera cælesti uelut supremo laborum premio perfrui mereatur. Talem porrò personam suscepit Christus Seruator noster, tenuitq; usque ad mortem, in quo, prout hesternum die demonstratum est, uera ac uoluntaria fuit patientia, cuius nos fructus, magna ei acerbitate permistos, uberes percepimus. Nanque ea de causa, quid ille malorum non pertulit, cum passus

passus est se inter latrones cruci affigi? atque hoc ut  
 humanum genus ab interitu uindicaretur, quod in pec-  
 cato erat perpetuo. Apostolus epistola ad Romanos  
 capite 5. id ipsum testatur scribens, si rectè memini:  
 Christus enim cum adhuc essemus infirmi, iuxta tem-  
 poris rationem, pro impijs mortuus est. Siquidem per  
 Adam primum parentem nostrum, qui dicto Dei non  
 fuit audiens, peccatum in mundum introiuit, & per  
 peccatum, mors, quæ sic in omnes homines peruasit.  
 Nam nos Adam sequentes peccamus, ac iccirco in mor-  
 tem incidimus. Etenim Adam, prout Genesis capite  
 2. extat, primus à Deo homo creatus, in loco uolu-  
 ptario ac amœno, quem Græci Paradisum nominant,  
 collocatur, eiq; usus cuiusdam ligni interdicitur: at  
 non multò post Eue uxoris impulsu, præceptum Do-  
 mini uiolauit, qui sic peccando se temerè perditum  
 iuit, in nosq; eam quoque culpam deriuauit. PIN.  
 Itane noster primus parens æquè corpus ut animam  
 perdidit, quòd secus fecisset, atque iussus fuisset?  
 VERG. De corporis amissione non est quod lo-  
 quamur, cum illud caducum sit. De anima uerò si  
 quæras, audi Ambrosium de ea ipsa re in suis com-  
 mentarijs in epistolam Pauli ad Romanos capite 5.  
 multò subtilius differentem, quàm ut à me accipere  
 possis, qui tentabo eius uerba recitare. Hic enim,  
 inquit, Adam beneficium Dei perdidit, dum deliquit,  
 factus indignus edere de arbore uitæ, ut moreretur.  
 Mors autem dissolutio corporis est, cum anima à cor-  
 pore separatur. Est & altera mors, quæ secunda di-  
 citur, in gehenna, quam non peccato Adæ patimur,

sed eius occasione, proprijs peccatis accidit, à qua  
 boni immunes sunt, tantum quòd in inferno erant, sed  
 superiori quasi in libra, quia ad cœlos ascendere non  
 poterant, sententia enim tenebantur data in Adam,  
 quod chirographum in decretis morte Christi de-  
 letum est. Sententia uerò decreti fuit, ut unius homi-  
 nis, id est, Adæ corpus solueretur super terram, sed a-  
 nima uinculis inferni detenta exitium pateretur. Et ad  
 propositū subiicit: Paterno autem peccato, ex Dei sen-  
 tentia, cuncti erant apud inferos, gratia Dei abūdauit  
 in descensu Seruatoris, omnibus dantis indulgentiam,  
 cum triumpho sublatis eis in cœlū. Sed Origenes hunc  
 quoq; differens epistolæ Pauli locum, nō minus lucidè  
 concludit: Sic ergo, ait, plures Christus reducit ad ui-  
 tam, quàm Adam duxit ad mortem, quia etiam ipsum  
 Adam, qui cæteris causa extitit mortis, Christus reuo-  
 cavit ad uitam. Hinc igitur perspicuè intelligi licet,  
 Christum patefecisse per suam mortē, Adam aliorumq;  
 antiquissimorum patrum animis uiam ad cœlum, atq;  
 ita cunctis etiam mortalibus ei credentibus, ad fruen-  
 dam uitam æternam. Atqui idem apostolus dicere per-  
 git: Nam si unius delicto multi mortui sunt, multò ma-  
 gis gratia Dei & domum per gratiam, quæ fuit unius  
 hominis Iesu Christi, in multos exuberavit. Isthæc ad  
 rogatum tuum respondere habui. Cæterum considera  
 to uberrimum, latissimum, ac multò post homines na-  
 tos gratissimum, ualdeq; salutarem patientiæ Christi  
 fructum, qui nobis præbetur, si uelimus magistrum i-  
 mitando tales esse, qui eo digni habeamur. Ad id uel  
 æquè omnes hortatur apostolorum princeps Petrus  
 epistola

epistola priore, cap. 2. Nam hæc est, ait, gratia, si quis propter conscientiam Dei, suffert molestias præter meritum, affectus malis. Quæ enim est laus, si cum peccantes a lapis cadimini, sufferetis? At si cum benefacitis, & tamen malis afficimini, suffertis: hæc est enim gratia apud Deum. Si quidem in hoc uocati estis, quoniam et Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequeremini uestigia ipsius. An non Petrus ipse in primis istuc fecit? Ille enim postquam innumeras calamitates, quemadmodum in Actis apostolorum est, non repugnanter perpeffus est, ad extremum Romæ, teste Tertulliano, in cruce uitam finiuit, sic magistri sui uestigia nauiter secutus. Ecquid aliud Paulus animo prospiciebat, nisi illud ipsum cæleste præmium? Is etiam rectis studijs, per cunctas uitæ ærumnas contendebat non inuitus ad mortem, id quod ad Timothæum epistola posteriore, affirmat: Nam ipse iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat, certamen bonum certavi, cursum consummaui, fidem seruaui. Idem de fructu suæ patientiæ eò loci commemorat, cum ita subijcit: Quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex. Quid, quòd afflictiones ex solæ patientiæ emolumento commendat? Sic enim ad Romanos capite 5. scribit: Gloriamur super afflictionibus, scientes quòd afflictio patientiam pariat, patientia uerò probationem. Alludit Paulus ad id, quòd fortiter mala ferentibus promittit Christus apud Matthæum capite 24. dicens: Consurget autem gens contra gentem, & regnum contra regnum,

& erunt pestilentia, & fames, & terræ motus in sin-  
 gulis locis, tunc tradent uos in afflictionem, & occi-  
 dent uos. Qui autem perseuerauerit usque in finem,  
 hic saluus erit. Ecce sanè grandis tolerantia remun-  
 neratio, sic, ut maior exoptari nequeat, quando tali  
 beneficio affectos ipse Seruator, autore eodem euan-  
 gelista, beatos uocat: Beati pauperes spiritu, bea-  
 ti qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur pro-  
 pter iustitiam, quoniam illorum est regnum celo-  
 rum. Atque is est cœlestis fructus, quem animis nostris  
 sola affert patientia, quæ item humanæ uitæ summam  
 præbet utilitatem, cuius ut iucundi laboris fructus  
 causa, heri ostendi pugiles, gladiatores, milites, mer-  
 catores, opifices, & nautas in patientia obdurescen-  
 tes, sese ad omnes subitorum periculorum casus ultra  
 obicere: eademq; spe ductos agricolas, uenatores, pi-  
 scatores, ac cunctos alios homines de lucro manuum  
 suarum uiuentes, laborando incredibili patientia uti.  
 Sed est aliud pulchrum atque decorum patientiæ præ-  
 mium, quod sua sponte petitur, quodq; spreta & con-  
 tempta uoluptate, optimus quisq; sequitur. PIN. Fac,  
 amabò te, intelligam quid istuc sit. VERG. Bone  
 Deus, de patientia sedulo agimus, et tu tamen pati non  
 potes, ut ea explicem, ad quæ festinat oratio. Inquam,  
 est Honestas ipsius patientiæ mater, quæ eam ex Pu-  
 dore uiro suo, sicut dictum est, genuit. Quæ equidem  
 honestas in rebus cunctis agendis sita cum primis es-  
 se debet: ille enim qui officium suum non suis commo-  
 dis, sed honestate metitur, iam paratus est famem, si-  
 tim, labores, uulnera, mortem perpeti, ut honestatis  
 ipsius

ipsius fructum capiat. Hoc nimirum fuit, quamobrem  
 Ioseph Iacob filius noluerit stuprum facere cum do-  
 mina sua, quod ei mulier obtulerat: nanque ille à fra-  
 tribus uenditus Ismaëlitis, ueluti libro Gen. cap. 37.  
 legimus, ducitur in Ægyptum, emiturq; rursus à Puti-  
 phar uiro graui, cuius uxor adolescētis amore ardens,  
 cū non potuisset eum illicere ad stuprum, falso apud  
 uirum accusauit: ac innocens Ioseph eò, quod heræ mi-  
 nus obsecundauerit, cōtruditur in carcerem, qui mo-  
 lestias custodiæ tolerando, tandem sua honestate di-  
 gnā accepit mercedem: biennio enim post falso cri-  
 mine solutus, fit à Pharaone rege præpositus totius  
 Ægypti. Manet etiam nunc honestatis fama, tanquam  
 duræ mortis compensatio, Lucretiæ Romanæ matro-  
 næ. Sextus enim Tarquinius, teste Liuiο, uim Lucre-  
 tiæ attulit, quæ per uim oblatum stuprum uolunta-  
 ria morte luit, quò sic pudorem pudicitiamq; suam de-  
 fenderet. Neque aliud quicquam magis in lucris cer-  
 tis ponunt & expetunt milites, quàm honestatem,  
 quàm laudem, quàm dignitatem, quàm decus, qui uul-  
 nera accipiētes, ne digitum quidem latum à pugna di-  
 scedunt, adeò fructus iste patientiæ quanquā sanguino  
 lentus, est moriētibus præcipuus, gratus, nobilis. Hæc  
 hætenus de uoluntaria patientia, & eius fructu, nunc  
 ad coactam transeamus, quam antè diximus natam es-  
 se ex necessitate, ac proinde non puram, non perfe-  
 ctam: quo fit, ut nescius propè sim, quid ex ea quod  
 nobis conducatur, proficisci possit, nisi ex certa animi  
 cōstantis sentētia eius, in quem ceciderit, fiat quodā-  
 modo perfecta. Etenim sæpissimè accidit, ut nos uē  
 stricti

astricti aliquid inuiti toleremus, ac id postea conscientia uicti non refugiamus magnopere. Verbi gratia: Quispiam perfidiose percutit, interficit hominem, is eo crimine damnatus cum uidet sibi esse moriendum, acerbè dolet: mox intelligēs suæ desperatæ salutis nullum fore remedium, conscientia commotus, patientia coacta necessariò utitur, ac proclamat dignum se esse, qui iure puniatur, nec dolere quòd de uita exeat, sed quòd peccarit: ac eo denique pacto facit uitium per necessitatem, uirtutem. PIN. Credim' illum ex animo loqui? VER G. Quid ni, cum sua spòte tale quid dicat? Atq; coacta patientia ad hunc modum fieri potest perfecta, & uoluntaria, coelestisq; gratiæ non expers, id quod non obscure apparuit in Abraham et Ioseph, ut heri, ac suprà dictum est: item in Paulo de celo tacto, ex equoq; in terram actutum deiecto, atque simul oculis capto, prout in Actis, capite 9. traditur, qui in periculum mortis repente incidentes coeperunt grauatè pati, quæ minimè cogitarant sibi patièda esse. At coacta semper patientia per se nihil quicquam meretur, cum peruersos homines supplicijs, nõ autem conscientia uictos, haud unquam pœniteat peccasse, quippe qui moriendo non tam dolent quòd facinora capitalia commisissent, quàm quòd uitam amittant. Atque sic ad quem nullus mœror morte sua uenit, ad eundem quoq; nullum inde meritum peruenit. Quòd autem mirifica patientia interdum oritur ex amore, metu, inopia, & auaritia, quemadmodũ hesternò die nobis est disputatum, non satis omnino liquet, quid fructus inde uenire ad quenquã queat, cum istæ quatuor

res sint, quæ possunt homines ad turpes uoluptates, turpeq; compendium commouere. PIN. Ecquid audio? Habes ne tu in turpibus uel malis rebus amorem? Est enim mihi Antonius filius adolescens, quem in oculis fero, ac iccirco permulta sepe molestè patior sinendo, ut aliquid detur eius ætati, ut adolescentia sit liberior, ut non omnia eius uoluptatibus denegentur: hunc modum tenendo, uideo illum paterna charitate motum redire aliquando ad seipsum, & cum denuò incipio esse consultò seuerior, ut nimium ne indulgeam, is non negat mihi morigerari: ex quo fit, ut ex mea breui patientia, quam meus mihi erga filium amor affert, summam capiam uoluptatè, ac eam quidem perquam honestam. VERG. Quid tum? Tu nuper de libidinosi mentionem fecisti amoribus, quos olim in puellam quandam habueras, ex quibus haud parum multa perpeffus mala, quod demum commodum accepisti, nisi turpes uoluptates? Tace igitur, tace, neque me, pro tuo iure, obtundas de re futili, nec incepto sermoni quicquam ab eo alienū toties anteuertas, sed finito nos pergere. Sequitur metus, qui consilium & mentem cum nobis confestim auferat, haud scio quomodo cuiquam utilitati esse possit: quanquam in prima ætate, fateor, est pueris admodum salutaris, qui à parentibus in aliquam disciplinam traduntur præceptoribus: nam cum natura sint ludibundi, nisi timerent, parum studerent, minusq; in artibus proficerent. Verum in grandioribus, siue gubernatoribus ciuitatis, si sit metus, plerunque pestifer est, cum illi perterriti ad omnia flagitia cogantur esse paratio-

res, & isti ut mali rectores repente fiant canes ma-  
 ti, sicut vulgò dicitur, qui latrare deberent, qui sic  
 ius fasq; omne peruertere deleriq; sinunt. Horum pa-  
 tientia quem apportabit fructum? PIN. Nempe cri-  
 men magnum, & crimen ipsum mortem. VERG.  
 Atque ita non impune facient. Deinde homines ino-  
 pia ad grauissima quæque etiam minus honesta faci-  
 lè compelluntur, ut cultu quotidianoq; uictu ne ca-  
 reant. Postremò auaritiæ causa, quid non turpiter  
 & tentamus, & patimur? quæ porrò res tantum ab-  
 est, ut aliquod pariat commodum, ut etiam æternas a-  
 nimo molestias exhibeat: quia, prout ait Horatius,  
 quanto plura parasti, tanto plura cupis. PIN. Opti-  
 mè ac planè de patientia eiusmodi rerum miserarum  
 differuisti: sed unum percontor ex tempore, utrum  
 hæc tolerantia sit uoluntaria, an coacta: nam interes-  
 se multum supra ostendisti inter utranq;. VERG.  
 Queris, quod nemo homo extra te, nescit. Quis enim  
 fastidium meretricis sponte fert? Quis nõ inuitus me-  
 tu torquetur? Quis uolens egestate premitur? Quis  
 auarus pro sua agit quicquam uoluntate? is quando-  
 quidem nunquã sui iuris est, qui cupiditate ita ad uti-  
 litatem rapitur, ut præ lucro, ne libertatem quidem  
 magni ducat. Satin' iuxta me, tenes in hoc hominum  
 genus uoluntariam minimè cadere patientiam? PIN.  
 Sat teneo certè, ac talis coacta tolerantia sepe me ma-  
 lè habet, cum in animum meum inducere nequeam, ut  
 temperanter diu feram hominum illiberalitatem, sè  
 nonnunquam à quopiam accipio maleficium, pro be-  
 neficio: accipio autem nimis sepe, quo nihil, uti mea  
 fert

fert opinio, fieri potest indignius, cum beneficia que generatim priuatim ue ciuibus dantur, ijs soleant esse fructuosa, à quibus profecta sunt. Ex quo uere Ennius, benefacta male locata, malefacta arbitratur. Et enim quis ingrati animi crimen non maximopere abhorret? in quo uitio nil mali non inest, quando inter ingratos nulla amicitia esse potest, nulla fides, nulla constantia. Atqui si certo scirem talem tolerantiam esse habituram aliquid honesti comodi, aut commendationis, forsitan conarer facere coactam patientiam ex uoluntate perfectam. VERGIL. Esne tu unus illorum, qui beneficia foenerantur, nihilque faciunt, nisi quod ex ipsorum tantum usu sit? An ignoras illud Ciceronis scitum: Hoc do, hoc recipio, non est beneficium? Sed Seruator noster apud Lucam, capite sexto, eque uerum beneficium, ac largitionis et patientie premium, cum gratia minus referatur, declarat, atque proponit suis discipulis, dicens: Etsi mutuum dederitis his, à quibus speratis uos recepturos, que gratia est uobis? nam peccatores peccatoribus dant mutuum, ut recipiant paria. Quinimò diligite inimicos uestros, et benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes, et erit merces uestra multa, et eritis filij altissimi, quia ipse benignus est erga ingratos et malos. Hoc ait, quia Deus omnium uitæ humanæ commodorum perinde bonos ut malos participes facit. Considera nunc, quam bene locatum sit, si quid tale præstiteris, cum tantatibi merces promittatur à CHRISTO. PINNIVS. Euellisti profectò mihi ex animo sepulchrū,  
qui

qui me acriter pungebat, stimulabatq; . Verum quoniam dixi maleficium mihi factitatum ab ingrato, à te iccirco peto, debéone pati, ac tantam remittere iniuriam? VERG. Debes haud dubie, si uelis ei auscultare, qui iubet nos diligere inimicos, & beneficijs afficere illos, qui nos oderint. PIN. Vis tu mihi persuadere, ut ita faciam? VERG. Cur non? sanè non ego, sed Seruator iubet, qui uult animos nostros pueros, benignos, paratos ad opitulandũ inopiæ cum primis egentium, ac omnino nusquam mansuetudine & humanitate uacuos. PIN. Dic as quid uelis, ipse non existimo in rem esse meam, ut iuueni hostem. VERG. Perquam multum existimes licet, si modò sapis. Dic, quaeso, admisisti ne tu aliquando tale maleficiũ in aliquem? PIN. Minimè, quod recorder: nunquam enim nocui homini, qui bene de me quoquo modo meritus foret. VERG. O bonum uirum, sed beneficiorũ haud equidem omni tempore memorem. Ecquis plura in te contulit, quàm Deus? Cæterum ne multa, unum absq; alijs infinitis, animaduertito acceptum à Deo beneficium, sine quo, cuncti uerius arbores quàm homines essemus & nominaremur. Quid porro præstabilius mente humana est, cui tota hominis natura paret? Hanc nobis procreator ille mundi Deus dedit, per quam in sensibus habemus intelligentiam, rationem, atque consilium. Cùm itaque tam beneficentissimus quàm gratissimus sit nobis Deus, hunc pro se quisque maximè colere, obseruare, amareq; debet. Nunc rogo, offendisti ne unquam istum principem omnipotentem? PIN. Per sepe certè quidem, ac plus nimio.

VERG.

VERG. Cùm ita cõmittis, postea, credo, sedulo stu-  
 des eum tibi placare. PIN. Nihil supra. VERG.  
 Ratio ergo postulat, ut aliud non facias, nisi quòd Deũ  
 assidue oras, cum præsertim dominicam recitas preca-  
 tionem, recitas autẽ, sicut arbitror, frequenter. PIN.  
 Quorsum hæc? Quid in ea prece est, quod ad quæstio-  
 nem nostram attineat? VERG. Propè iam intelligo  
 (sed æqui boniq;, quod sum dicturus, facias uelim) te uer-  
 bo potius quàm mente precari, qui uideris nõ multum  
 attendere illud: Remitte nobis debita nostra, sicut &  
 nos remittimus debitoribus nostris. Hinc scire potes,  
 oportere te ita modicè pati iniurias tibi factas, ut etiã  
 remittas, si ea quæ in Deum admiseris, delicta tibi re-  
 missa uelis. Et ne in dubio uerferis, nèue diutius animi  
 pendeas, CHRISTVS ipse apud Matth. cap. 6. aperte  
 tuæ patientiæ mercedem, pertinaciæ uerò poenã futu-  
 ram denuntiat: Proinde. inquit, si remisistis homini-  
 bus delicta sua, remittet & uobis pater uester coelestis.  
 Quòd si nõ remisistis hominibus delicta sua, nec pa-  
 ter uester remittet uobis delicta uestra. Persuasi tibi  
 iam, ni fallor, ut et inimicos ex animo diligas, iuuesq;, &  
 tibi reconcilies, cùm sit præstò, qui tuum officium  
 beneficio tanto remuneret. PIN. Conuictus sum in  
 hoc, fateor, peccato, partim præceptoris autoritate,  
 partim spe ueniæ meorum cõmissorum. Sed cùm dixe-  
 ris, Reconcilies, nõ intelligo: nanq; in eo Euangelij lo-  
 co, quem modò in medium adduxisti, nõ est iussum, ut  
 debeam quærerẽ reditionem in gratiam cum inimico.  
 VERG. Ego te uerè reconciliatũ uelim, siquidẽ sem-  
 per sunt à primo inter aduersarios, iræ discordiæq;

placandæ, quò pax facilius consequatur, & beneuo-  
 lentia. Qui enim fieri potest ut diligas inimicū, ueluti  
 CHRISTVS iubet, nisi simul ambo in gratiam reconci-  
 liemini? PIN. Proin si inimicus de recōciliatione sui  
 agere nō uult, iam mihi nō est ultra requirendum. Id-  
 ipsum docet esse uerū Seruator, teste Matth. cap. 5. ubi  
 ait: Si obtuleris munus tuū ad aram, & illic recorda-  
 tus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te,  
 relinque illic munus tuum coram altari, & abi, prius  
 reconcilieris fratri tuo, & tum ueniens offer munus  
 tuum. At si frater neget facere recōciliationē, quid ei  
 sit agendum, nō iubetur in Euangelio. Neq; Hierony-  
 mus hunc interpretans locū aliter definit, qui, Quan-  
 diu ergo, inquit, illum placare nō possumus, nescio an  
 munera nostra offeramus Deo. Igitur meo quidem iudi-  
 cio, eiusmodi proteruis, audacibus, improbis homini-  
 bus resistendum est. VERG. Caue, ita faciendum di-  
 cas, quia istud impensius à Deo prohibetur, quàm ut  
 impunè fieri queat: edicit enim Seruator apud Lucā,  
 Percutienti te in maxillam, præbe & alteram. PIN.  
 Prò sancte Deus, quid ais? Vis ne tu, tu ipse uim homi-  
 nis omnē exuens, naturam uiolasse dicar? illa etenim  
 defensionē nō modò homini dedit, uerumetiam bestio-  
 lis, quæ si premantur, statim remordent. Quæ, malū,  
 hæc stultitia, ne dicam, amentia est, ut quispiam patia-  
 tur se à peruerso homine cædi? Quotus nempe quisq;  
 est ita moratus, ita sui regens sibiq; imperās, ut istiusmo-  
 di probrum ferre queat? aut ita uecors, quin saltem sic  
 gere conetur? Quapropter ipse CHRISTVS uim natu-  
 ræ tantam cōsiderans, cum sciret futurū, ut quāplures  
 ubiq;

ubi q; gentiũ existerent, qui ei us discipulis cruciatus et  
 mortes intentarent, & ne illi in malis imparati forent,  
 iussit eos sese defendere, quĩ ita de ea ipsa re, autore Lu  
 ca, cap. 22. præcepit: Quando misi uos sine sacculo, et  
 pera, & calceamentis, num quid defuit uobis? At illi di  
 xerunt, Nihil. Dixit ergo illis: Sed nũc qui habet saccu  
 lum, tollat similiter & peram, & qui non habet, uen  
 dat tunicam suam, & emat gladium. Ad quid, quæso,  
 iubet CHRISTVS discipulos emere gladium, nisi ut eo  
 ad suam ipsorũ defensionem utantur? Poteris ne tu ad  
 ista secus aliquid dicere, atq; ipse sentio, uel inficiari  
 ita esse? VERG. Neutiquã profectò, si ingenij sim,  
 aut rationis penitus expers: sed quoniam utrunque in  
 nobis adhuc aliquantulũ uiget, iccirco de responden  
 do nõ hæsitabimus. Primũ omnĩũ scito CHRISTVM,  
 relicto cœlo, descendisse in terras, ut mortales cœlesti  
 doctrina imbueret, quæ sola facit, ut cunctis cõtemptis  
 humanis rebus, facilius diuinis studeamus. Itaque po  
 steaquã in suis discipulis incidemat omnes id genus  
 humanas affectiones, quò in fine ne laberentur, eo in  
 loco quẽ modò citasti, cœpit cum illis agere de exeun  
 do de hac uita, atque eorum mentes plurimum corro  
 borare, ut certum haberent non carituros se neq; ui  
 ctu, neq; cultu, nec defensione, si in afflictionibus ipsi  
 sibi non deessent: sumpta metaphora à uiatoribus, uel  
 militibus, qui cibos & arma sibi ante omnia compa  
 rant: ac alludens ad sacculum & peram, in qua res  
 ad uictum quotidianum necessariæ importantur, atq;  
 ad gladiũ, quo resistitur latronibus, ait ad hunc pro  
 pte modum: Hactenus à me uita uestræ commodis satis

prouisum est, posthac me in cœlum redeunte, prospici-  
 te diligenter procellas omnes, quæ impendent, quãdò  
 futurum est, ut famem, sitim, & hominum insidias pa-  
 tiamini, quæ omnia superabitis, si prouidentes uobis,  
 armatiq; fueritis gladio, id est, animo euangelicæ do-  
 ctrinæ pleno: nam ut gladius auxilio est pugnantibus,  
 sic animus spe bona fretus uires suppeditat pro uerita-  
 te certantibus. De hoc gladio Paulus ad Ephesios me-  
 minit, ac quid sit, planè declarat, scribens: Galeamq;  
 salutaris accipite, & gladium spiritus, qui est uerbum  
 Dei. Item ut ne discipuli eo ipso unquam animo cade-  
 rent, optimus præceptor ueluti peritissimus Impera-  
 tor, laboris, fortitudinis, diligentiae mercedem, hoc est,  
 patientiæ fructum pollicetur, dicens: Per patientiã ue-  
 stram, possidete animas uestras: id est, ita faciendo ser-  
 uabitis animas à manu hostiũ, qui corpus occiderint,  
 quoniam animæ uestræ ex uoluntate uestra, per gra-  
 tiam Dei, saluæ erunt. PIN. Nescio quò me trudit.  
 Non licuit reuera apostolis uti gladio sui defendendi  
 causa? VER G. Nequaquam alio, atque dixi, neque  
 CHRISTVS ipse usus est, neq; Apostolorũ quisquam,  
 præter Petrũ, qui teste Ioan. cap. 18. uidens magistrũ  
 suum à Iudæis indignè in uincula dari, nõ potuit absti-  
 nere manus, quapropter ab eo est grauitè reprehen-  
 sus. Atq; tantũ abest, ut fas sit, ut alij id audeãt. PIN.  
 Ista si uera sunt, iam latrones tutius possunt quemuis  
 etiam tunica spoliare. VER G. Tutius? Nihil est tu-  
 tum facere, quod sit legibus uindicatũ, quemadmodum  
 est furtum, quod iam inde ab initio Moses nõ sine pœ-  
 na fieri uetuit. PIN. Quo ergo iure principes no-  
 stri

stri belligerant, si armorū usus interdictus sit Christia-  
 no hominē? VER. Suis legibus id licere facere aiūt.  
 Sed hæc missa faciamus, quæ ad rem nostram minimè  
 pertinent. PIN. Ast ego superior, uti uideo, non tam  
 tua astutia, quàm mea, ut uerū dicam, ignauia, qui an-  
 tē quæ plana & aperta ad comprobandum defensio-  
 nem esse legitimam putaram, tu ea omnia nunc tot my-  
 steriōrū plena esse doces, ut planè mihi fatendum sit,  
 me tota errasse uia, uti dicitur, qui nesciuerim, quid  
 sibi uoluerit CHRISTVS iubendo, ut gladius emere-  
 tur. Et quia non habeo quod amplius dicam, ad illud  
 unum uelut caput meæ quæstionis reuertar, quod mi-  
 hi ad concoquendum non mediocriter durum est. Itaq;  
 faciamus unum aliquem ex omni hominū genere, anti-  
 mo esse ita miti, leni, mansuetiq; ut possit pati se per-  
 peram uexari, cædi, plectiq; à te sciscitor, quod pro-  
 meritum eius tolerantia habebit? Nam res hæc nostræ  
 disputationis summa est. VERG. Pro meritum sanè  
 immortalē. Quid enim fuit, quamobrem CHRISTVS  
 maluerit à Iudæis accipere ingentem plagam, quàm ui-  
 tare, nisi ut doceret, e re maximè nostra esse, æquissi-  
 mo animo contumelias pati? PIN. De nobis loqua-  
 mur, qui homines sumus, & animi nostri ualde irrita-  
 biles sunt. Dicam itaq;. Sat scio talem, bona uenia tua  
 dictum sit, stultam esse patientiā, utpote quæ nil aliud  
 omnino est, nisi bellum iterandæ iniuriæ inuitamentū,  
 quando per eam, audacia citius improbis hominibus  
 adaugefcit. VERG. In tua sit, quæso, oratione tam  
 modus, quàm modestia: ne uoces tolerantiam stultam,  
 quæ prudens habetur à CHRISTO Seruatore nostro,

DE PATIENTIA

cuius consiliū est, ut ita fiat, ad perfectam patientiam ostendendā. Idem uel suadet Apostolus, qui prohibens Romanos iniurias iniurijs ulcisci, sic ad eos cap. 12. scribit: Ne sitis arrogantes, neq; cuiquam malum pro malo reddatis, cum omnibus hominibus in pace uiuentes, nō uosmetipsos ulcipientes dilecti, quin potius date locum iræ. PIN. Ain' consiliū CHRISTI esse ergo non præceptum, non scitum, non præscriptum est. Cū ita sit, iam tecum consentio, licet nō fuerint unquam mortales ulli, quod sciam, qui dilexerint inimicos, qui orauerint pro illis, qui eisdem benefecerint, qui deniq; se plecti suerint. VERG. Omnia ista amoris, charitatis, beneficentiæ, ac inauditiæ temperantiæ officia, primum CHRISTVS præstitit, qui Iudæos maxime omnium aduersantes sibi, amanter de salute generatim admonuit, multos illorū speciatim clementer ab interitu æternæ mortis uindicauit, pro reliquis omnibus suis percussoribus pendens ex cruce Deum patrem suppliciter orauit, cū teste Luca, dixit: Pater remitte illis, nesciunt enim quid faciunt: & uitam ad ultimum pro nobis, sponte amisit. Deinde Apostoli ceteriq; martyres nostri itidem fecerunt. At qui ad illud uenio, ad quod tam attentè subito aures erexisti: esse consilium CHRISTI, ut quis facile patiat se uerberari ab aduersario, id quod ne audire quidem æquo potes animo. De consilio præceptoue non disputo, cū istuc scire liceat, CHRISTVM uolentem docere nos in primis singularem habere patientiam, per hyperbolen, per quam crebrò plus dicitur, quàm fiat, monere, ut non tam corpore quàm animo parati simus

finus ad obuertendam alteram malam ei, qui alteram  
 antea cæciderit, quò sic appareat, esse nos omni tem-  
 pore modestos, lenes, temperatos, & pietatis colen-  
 da cõseruandæq; studio ardere, quemadmodũ sanctos.  
 uiros decet, qui præ illa perpetua, de hac exigua uita  
 parum cogitent. PIN. O excellens decus homini in-  
 genium: quod à principio uehementer abhorrebam,  
 stomachabarq; ob sensus obscuritatem, ac quodammo-  
 do à tuo sensu tanquam duro diffugiebam, cum despe-  
 rarem me posse tale quid unquam præstare: nunc au-  
 tem à te exquisitè de re tota edoctus, ritè illud teneo,  
 proboq; ac mihi demum, testor Deum, cor cum au-  
 rium auditu consentit, qui satis superq; cognitum ha-  
 beo de nostræ patientiæ fructu tam cœlesti quàm hu-  
 mano, cum per eam, uti tu passim rectè docuisti, &  
 gratiam Dei, & uitæ commoda consequamur, bene  
 agendo, abstinendo, meditando: ex quo nostri collo-  
 quiij finem iam expecto. VERG. Finem expectas?  
 Ad finem ipse uelis & equis, ut aiunt, festino, & eo  
 magis, quia uideo te intelligere animi salutem potissi-  
 mè uersari in humanarum ærumnarũ patientia. Nunc  
 igitur postremò parum de corporis æquè, ut ipsius a-  
 nimi leuatione, quam tolerantia quoque parit, dicere  
 lubet. Demonstratum est à principio patientiam esse  
 necessariam, propterea quòd uitæ calamitatibus re-  
 medio esset. Sunt enim duo animi atque corporis tor-  
 menta, labor & dolor, sibi prorsus finitima, sed  
 tamen differunt aliquid. Labor, est quoddam aut  
 animi aut corporis grauioris operis studium: dolor  
 autem motus asper in corpore à sensibus alienus. Hos

ambos stimulos sola patientia nescio quo pacto frangit, mitioresq; reddit, uel quasi tollit. Verbi gratia: Agricola intendit sese ad quotidianū opus, nec aliquid abiectione aut ignaue facit, propterea quòd non sit laboris insolens. Item miles ex consuetudine minus sentit uulnerū dolorem, quia certa animi confirmatione paratus est ferre. Similiter ægotans, spe sanitatis recuperanda, facile acerbitatē medicinæ suffert: nam, ut Cicero ait, nulla medicina tam facit dolorem, quàm quæ sanat. Atq; tolerantiam istam laboris pariter atq; doloris solus affert fructus, qui sequitur: quandò agricolam copia frugum delectat, militē decus & laus, egrotum uerò ualetudo, & id quidem tanto magis, quanto pro se quisq; plus laborauerit acquirendo. Hæc breuiter perstrinxi, uel potius perorauī, quòd te ad patientiam firmè armarem, qui interdum soles colere agrum tuum, aut belligerare, uel per incuriam sepe in morbum aliquem incidere, ne te aliquando laboris aut doloris compensationis spes deficeret.

DIALOGI DE PATIENTIA ET  
EIVS FRUCTV, FINIS.

POLY-